

intricatisimi via patet, quam quæ a plerisque Theologis aperitur: qui Deiparam Virginem, antequam nubere Iosepho, Divino afflatu, certaque revelatione admonitam volunt, Iosephum, tradita sibi in corpus ipsius potestate, numquam usurum; numquam debitum petiturum; seu quod votum virginittatis nuncupaturus esset & ipse, seu quod Deus mentem ejus a petendo debito esset averfus. Quod idem ferme, alio licet modo, Cæciliæ Virgini contigit; quæ, Angelo virginittatis suæ custode munita, atque protecta, nuplit citra periculum Valeriano; probe sciens, Angelum, aut a petendo debito Valerianum avocaturum, aut congressum maritalem quovis tandem modo impediturum: quod illi subinde feliciter cessit. Ea porro Divina revelatione certior facta Deipara, consensit in traditionem juris ad copulam conjugalem, quod ad substantiam Matrimonii satis fuit; non tamen consensit in usum juris illius, quem sibi voto castitatis interdixerat, quemque numquam secuturum certissime noverat. Ius itaque, atque dominium in alterius corpus habuerunt uterque, vi Matrimonii; quamquam juris, atque dominiū usū, vi voti interdicerentur. Quæ duo inter sese minime pugnant; cum plerumque stante dominio, usus ipse dominiū aliunde, ac velut ex accidenti prohibeatur.

En plenam, expeditamque propositi Ænigmatis solutionem. Ne autem argumentorum difficultate deterriti dare terga videamur, singulis ex abundantī, ac recto ordine satisfacimus.

1. Traditio corporum importat ex tunc consensum in copulam, si absolute quidem fiat, ac nulla, quam diximus, prævia certitudine, numquam esse copulam secuturam: secus si ea certa notitia præluxerit. Tunc enim consentit quis in traditionem juris ad copulam, non in copulam ipsam, quæ in illius juris usu posita est.

2. Nemo potest alteri tradere, quod suum non est, eo modo, quo non est suum; secus autem potest. Qui autem voto virginittatis obstrictus est, non habet quidem liberum usum sui corporis ad actum conjugalem, idque profecto non tradit ei, quem novit numquam id esse petiturum, sed jus ut summe tradit, ab usu, & actu sejunctum.

3. Qui vovit virginittatem, voto ipso impeditur ab exercitio potestatis in corpus alterius; non ab ipsamet potestate, quæ ab exercitio, & actu sejuncta est, quæque ad ipsam substantiam Matrimonii satis est. Neque vero hujus rei, quæ difficultatem aliquam ingerit, explicandæ longè exempla petenda sunt; habemus in manibus. Qui enim post contractum Matrimonium virginittatem vovet, (sunt autem hujusmodi bene multi) retinent potestatem alter in corpus alterius; stat enim etiam tunc insolutum vinculum Matrimonii: potestas tamen ab actuali usu sejuncta est, sitque usus ipse potestatis illicitus. Adulter etiam perdit usum, & exercitium, servato tamen jure, & potestate retenta.

4. Tria in Matrimonio distinguenda veniunt, substantia, usus, & finis. Substantia est mutua corporum traditio, seu traditio mutua potestatis in corpus. Usus est copula conjugalis; per hanc enim tradita sibi potestate utuntur conjuges. Finis est procreatio prolis. Quare stare potest substantia Matrimonii sine fine, stetitque re ipsa in Deiparæ Matrimonio. Imo nec defuit illi finis, si minus ab ipsis conjugibus initio intentus, at saltem ab ipso Deo facti illius Conjugii conciliatore. Christus enim illius, & finis, & fructus fuit; non ex eo quidem natus, sed in eo, uti Theologi de schola loquuntur. Eaque ratione cæteris omnibus conjugis, etiam ratione finis, præstantius fuit; de quo Augustinus lib. 1. de Nu-

ptiis Cap. 11. *Nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi; proles, fides, Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divorcium.*

5. Frigidus, & Eunuchus non possunt valide contrahere Matrimonium, quia ad reddendum debitum laborant impotentia physica, & naturali: qui vero castitatem vovit, hujusmodi potentiam habet; quamquam ratione voti non liceat ipsi potentia illa uti. Neque movet, si dixeris, ludicram, & futilem esse potentiam, qua non possis uti, nec liceat. Potest enim plane ea uti jure Matrimonii, quamquam non jure voti. Licet & illa uti per leges conjugii, adeo ut non sit adulter, si ea fuerit usus: quamquam non liceat uti ex obligatione voti; adeo ut sit irreligiosus, & sacrilegus, si utatur.

IV. At ecce, inquiet mihi aliquis, si sic est, licebit voto castitatis obstrictis contrahere Matrimonium, uti Deipara licuit. Responso in promptu est: liceat omnino, solo naturali jure spectato, ac pari posita revelatione, seu certitudine, conjugem alterum jure petendi debiti cessurum; cum virginittas per sese Matrimonio non repugnet: non licet tamen jure scripto, potissimum Ecclesiastico, id omnino vetante, ob periculum violandi voti in Matrimonio. Unde in iis ipsis, qui saltem post contractum Matrimonium vovent ex mutuo consensu, Ecclesia jubet, ut perpetuo separentur: toto titulo de *conversione conjugatorum*. Porro ea non erat scripti juris dispositio, dum Virgo Iosepho nuplit: aliunde vero ob eminentem utriusque virtutem, pietatem, ac religionem, periculum violandi voti in Matrimonio nullum suberat.

Negotium fecisset longe majus Gregorii IX. Rescriptum, Cap. *si conditiones*, extra de conditionibus appositis in deponatione: ubi declarat, nullum esse, & irritum Matrimonium, si conditiones contra substantiam conjugii inserantur: puta si alter alteri dicat, *contraho tecum, si generationem prolem evites*. Cui consonat, quod habet D. Thomas in 4. dist. 28. art. 4. ad 3. ubi hanc conditionem rejicit, uti substantiam Matrimonii destruentem, *consentio in te, ut non cognoscas me*. Porro Virgo Deipara contrahens cum Iosepho, & quicumque alius contraheret, præmissa virginittatis voto, eas certe conditiones apponit, aut verbo expressas, aut saltem mente conceptas; *Contraho tecum, modo tamen generationem prolem evites: vel, consentio in te, ut non cognoscas me*: quandoquidem ratione voti jam emissa, nec cognosci potest, nec ad prolem generationem aspirare valet: est igitur Matrimonium irritum jure naturæ, ac in ipsa etiam substantia deficit.

Miror, Theologos aliquos paginas implere, ut ab eo se nodo expediant: ego paucis resolvo, sublato æquivoco, quo totum laborat argumentum. Aliud longe est, contrahere cum aliquo Matrimonium, quem aliunde noveris generationem prolem se ipso evitaturum; aliud, contrahere cum aliquo, ea lege, & conditione contractui inserta, si generationem prolem evitet. Qui contrahit ea conditione contractui inserta, adversatur expresse fini Matrimonii, ejusque substantiam destruit, talem ab eo conditionem exigendo. Atque hoc est, quod declaravit Gregorius IX. quod & docuit Doctor Angelicus, irritum esse tunc Matrimonium. At qui simpliciter contrahit cum eo, quem aliunde noverit, se ipso generationem prolem evitaturum, excidit utut maxime a fine Matrimonii, sed ei expresse non adversatur: ad illum finem veluti *negativo* se habet, ut Schola loquitur, adeoque substantiam Matrimonii minime destruit. Atque hoc

Quandonam Mariam inter, & Iosephum Matrimonium sit initum.

I. Quam hodie agitandam suscipimus questionem, quo scilicet tempore Mariam Iosephus uxorem duxerit, suboscurem, ac dubiam fecit Textus Evangelicus Lucæ, & Matthæi Cap. 1. Is enim, si de summa facie, ut ferme sit, inspicitur, id certe videtur innuere, Mariam, quo tempore ab Angelo salutatam est, verbis dumtaxat de futuro fuisse desponsatam; eodemque statu, & conditione fuisse, etiam post tres menses susceptæ peregrinationis in montana Judææ; ac necdum tunc cum destinato sibi sponso cohabitasse; donec Iosephus a promissis resillire volens, conjugemque accipere pertimescens, quod sinistram de illius inasperata graviditate suspicionem induisset, ab Angelo Divinæ illius fecunditatis Mysterium aperiente confirmatus est, eodemque jubente, tum demum Matrimonium inivit, acceptamque conjugem in domum induxit. Hunc sane sensum referre Evangelica verba videntur: Lucæ 1. v. 26. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Matthæi vero 1. v. 18. ubi de Virgine e montanis Judææ reversa, sermo fit: Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Ioseph, antequam conveniret, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: ecce Angelus filii David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum. . . Exurgens autem Ioseph a somno, fecit quod præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam. Ac sic quidem, ut diximus, Evangelicum textum intellexere plerique Patres: qui idcirco Mariam Matrimonio tunc primum Iosepho junctam existimarunt, mense tertio post salutationem Angelicam, conceptumque Dei Verbum; dum Divinæ illius fecunditatis signa deprehensa sunt: Auctor Homil. primæ in diversa Evangelii loca apud Origenem, Hieronymum, Hilarium, Theophilactum in Cap. 1. Matthæi, Epiphanius Hæresi 78. Basilium Homil. de Christi Nativitate, Cyrillus Catechesi 12.*

II. Meditanti tamen diu mihi, remque totam de proximo inspicenti, ea sententia magis arrisit, quæ Virginem jam tum Matrimonio Iosepho junctam agnoscit, dum ab Angelo salutatam fuit, datoque consensu, Christum concepit utero humani generis Redemptorem; laudatque Evangelii verba in alium plane sensum inflectit, quam qui prima fronte videtur esse planissimus. Quæ mens summis etiam Ecclesiæ Patribus stetit, S. Ioanni Chryostomo Homil. 4. in Matth. 5. Ambrosio lib. 2. in Lucam Cap. 1. S. Bernardo Homil. 2. Super *Missus est*, S. Petro Chryologo Sermon. 175. Euthimio in Cap. 1. Matthæi, D. Thomæ 3. par. 9. 29. art. 2. ad 3. Imo mirari mihi sibi iudicium, laudatos antea Patres, Pseudo-Origenem, Hieronymum, Hilarium, Cyrillum, Basilium, Epiphanius, in priorem, quam retulimus, opinionem descendisse, quam positus alibi principis repugnantem deprehendissent, si vel leviter animos intendissent.

Eorum quippe Patrum concors sententia est de qua & in antecedentibus diximus, Deum de Virgine Matrimonio junctam nasci voluisse, ut Mari-

hoc est, quod egit Virgo Deipara: contraxit scilicet cum eo, quem aliunde Divina revelatione noverat, non esse debitum petiturum; non contraxit tamen ea conditione, contractui velut inserta, & postulata, ut debitum minime postularer. Idcirco stetit substantia Matrimonii. Exemplum rei hujus esto in contractu donationis. Si quis dicat, *do tibi domum meam, si eam non accipies*, contractus est nullus; quia ea non acceptatio exigitur a donatore; & quia exigitur, ludicram facit donationem, ipsamque destruit. At vero si dedero domum meam ei, quem aliunde noverim non acceptaturum, tunc non acceptatio erit extrinseca contractui, ac veluti ex accidenti: atque ita contractus ipsius substantiam minime destruit. Ita plane in casu, quem expendimus. Audi Doctorem Angelicum, rem illam totam paucis expedientem in 4. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæstioncula 2. ad 2. *Beata Virgo, antequam contraheret cum Iosepho, fuit certificata divinitus, quod Ioseph in simili proposito erat; & ideo non se commisit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati (Matrimonii) deperit; quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum; talis enim conditio, cum sit contra Matrimonium bonum, scilicet prolem procreandam, Matrimonium tolleret.*

V. At reponet forte professus vitiligator: Numquam Virgo Deipara consensisset in Iosephum, nisi certo novisset, eum non fuisse debitum petiturum. Sit ita vero: satis tamen est, si quod futurum sciverat, non exegerit ut conditionem contractus matrimonialis; est ei ex ea notitia nata sit illi contrahendi voluntas. Certe, si liceat mihi loqui, quod sentio, minorem difficultatem experior in salvanda substantia Matrimonii Deiparæ Virginis, eademque cum doctrina Gregorii IX. & Doctoris Angelici concilianda; quam in tuendo, quod vulgo fertur, Pulcheria Imperatricis Matrimonio. Hæc enim ea expressa conditione Marciano nupsisse dicitur, ac etiam Jurisjurandi religionem interposita, illum virginittati, quam adolescentula voverat, non insidaturum: ut est apud Nicephorum lib. 14. Histor. Cap. 58. & apud Baronium ad annum 450. Pulcheria itaque quod futurum scire, ac sibi certo spondere non poterat, ut conditionem contractus matrimonialis a Marciano exegit: Maria quod certo futurum Divina revelatione noverat, ut conditionem contractus non exegit, nec exigere opus habuit. Primum in Gregorii IX. definitionem videtur impingere, alterum ne per umbram quidem impingit.

Novi, qui ea difficultate pressus reposuerit, Pulcheriam diu ante Gregorium Marciano nupsisse; adeoque illius decreto impeditam non fuisse. At sciat illud, oportet, Gregorium legem illic Ecclesiasticam non statuere, sed quid naturale jus habeat, pronunciare: quid nimirum Matrimonii substantia postulet, quid illam destruat, explicare; quæ omni retro ætate salva, testaque esse debuit. Quare alterum, quo elaboratur, querendum effugium. Sed interim nihil illud ad nos, qui de Deiparæ, non de Pulcheriæ Matrimonio disputamus. Hactenus de illius veritate, atque substantia dictum: dicendum modo de circumstantiis ejusdem: quandonam scilicet fuerit initum, & quoto cuiusque vitæ anno.

tris honori confuleretur; ac ne a Judæis Divinæ illius fecunditatis mysterium nescientibus fornicaria putaretur, si peperisset innupta. Quis autem non videat, eadem quoque ratione necesse fuisse, Mariam jam tunc Matrimonio junctam esse, dum Angelo annunciante fecerit conceptus? Alias ii ipsi, qui eam nunc post mense peperisse dignoverunt, editum fecerit fornicarium judicassent.

Urget multo magis ea ratio illos ipsos, qui tunc primum inquit Matrimonium arbitrantur, dum externa graviditatis signa deprehensa sunt; dum scilicet tertio post mense e montana peregrinatione redit Virgo Deipara, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Sic enim eodem omnino tempore gravida fuisse deprehensa, & Matrimonio juncta; ejusque idcirco graviditas, Joseph tunc primum uxorem ducenti, a Judæis tributa non esset: aut certe si illi fuisset attributa, ambo simul sinistra opinione laborassent; tamquam carnalem copulam habuissent, post contracta dumtaxat sponsalia de futuro, ac nondum contracto Matrimonio de presenti. Quo quid turpius, quid indignius?

III. Concors perinde laudatorum Patrum sententia est, Deiparam idcirco Matrimonio fuisse junctam, ut partus ejus virgineus celaretur Diabolo, qui Christum putavit, non de Virgine, sed ex Josephi copula generatum. Quam rationem loco suo, adversus nonnullos cavillatores, vindicavimus. Ecquo vero pacto Christum ex Josephi copula genitum existimasset, cujus Matrem antea gravidam observasset, quam Josepho jungeretur; sextoque dumtaxat mense a contracto Matrimonio parientem vidisset?

IV. Accedit, quod a tempore accepti Angelici nunci, Scriptura nobis passim exhibeat Josephum cum Maria familiariter conversantem. Quæ profecto conversatio apud Judæos illicita erat, cum puellis simpliciter desponsatis, donec re ipsa Matrimonio junctæ essent. Erat ergo jam tunc Matrimonio junctæ: alias familiaris illa conversatio scandalosa fuisset iis maxime, qui peractum Divinum Mysterium nesciebant. Ut scilicet, puellas innuptas domi occultas servari solitas fuisse ad custodiam virginitatis; ac vix extra domesticos lares pedem efferre consuevisse. Unde libri II. Machabæorum Scriptor Cap. 3. ut excitata Hierosolymis per Heliodorum publica commotionis horrorem repræsentet, tamquam rem insolitam narrat, nigroque Cyeno simillimam, quod Virgines, quæ conclusæ erant, procurebant ad Oniam, alie autem ad muros, quedam vero per fenestras aspiciabant. Maria vero, statim atque Angelo nunciante Christum concepit, longam trium mensium, difficilemque in montana Judææ peregrinationem suscepisse legitur Lucæ 1. Quis igitur illum nondum tunc Matrimonio junctam sibi fingat?

V. Quin & ille ipse Evangelii locus Matth. 1. qui tam multis Interpretibus fucum fecit, ut Mariam e montana peregrinatione redeuntem, necdum Matrimonio junctam dicerent, eandem Matrimonio junctam evincit, si penitus perpendatur. Quorum enim sinistra, de illius graviditate, suspitione agitur Josephus, voluit occulte dimittere eam? Nemo quippe dimittit uxorem, quam re ipsa non duxit. Ambrosii observatio est lib. 2. in Luc. Cap. 1. Quam non accepit, nemo dimittit: & ideo qui volebat dimittere, sciebatur acceptam. Quorsum & Angelus, ut finitram ab eo suspensionem evelleret, ait: Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam: ac tum postea subditur: accepit Joseph conjugem suam, nisi conjux re ipsa jam esset, quam monebatur non dimittere de domo sua, sed potius accipere ad convictum,

non ad conjugium? Nam qui Matrimonio primum jungitur, non dicitur accipere conjugem suam, sed accipere in conjugem suam.

Quapropter totus ille Matthæi contextus, qui plerisque Patribus opposita sententia vindictis ludum fecit, in hunc sensum flectendus est: Cum esset desponsata Mater Jesu Joseph, non simplici desponsatione per verba de futuro, quæ vulgo Sponsalia dicuntur; sed desponsatione per verba de presenti, quæ verum, rarumque Matrimonium est. Eo quippe sensu desponsationis nomen usurpat Evangel. Lucæ Cap. 2. dum Mariam prægnantem, & partui proximam narrat, quo tempore Matrimonio junctam nemo negat: Ascendit autem & Joseph a Galilæa, de Civitate Nazareth, in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, ut profueretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; hoc est, antequam ullam copulam haberent &c. Joseph autem, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam; hoc est, cum nollet eam infamare, & ad tribunalia traducere puniendam ut adulteram; Voluit occulte dimittere eam, de domo sua, de convictu, de conversatione. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam: hoc est, acceptam retinere, ut hebraica phrasis habet, actum continuatum significans, non inchoatum: seu etiam, accipere in domum tuam, atque convictum. Exurgens autem Joseph a somno fecit, quod præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam; in domum scilicet, atque convictum, acceptamque servavit, atque retinuit.

VI. Unum huic interpretationi, tametsi planissimæ, genuinum videtur infringere. Si ea Evangelii verba, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, de conversatione ad copulam intelligenda essent; quasi diceret, antequam copulam conjugalem haberent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; consequens esset, eos postea saltem convenisse, seu copulam conjugalem habuisse, postquam Virgo Christum enixa est: quod Deipara virginitatis perpetuæ palam, aperteque repugnat: Est igitur intelligendum de conversatione in eandem habitationem; ut sit sensus, antequam simul cohabitarent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto: non ergo antea Matrimonio juncti: quotquot enim juncti erant Matrimonio, habitatione quoque jungebantur, ne finitris rumoribus occasionem præberent.

Verum est hæc putida cavillatio ab Helvidianis Marianæ virginitatis osoribus misere corrafa, mutuoque accepta, quam dudum Hieronymus occupavit. Consecutionem itaque negat Sanctissimus Doctor: antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; igitur postea convenirent. Scriptura enim quid antea factum non sit, simpliciter notat, non quid postea factum fuerit. Ut si dicam, Antiochus, antequam ageret penitentiam, extinctus est: aut etiam, Judices, antequam causam cognoscerent, pronunciarunt: consequens profecto non erit, Antiochum, postquam extinctus est, penitentiam egisse; aut Judices causam ipsam, post pronunciatam sententiam, cognovisse: sed nunquam Antiochum penitentiam egisse; nunquam Judices causam, quam decidebant, cognovisse. Exemplis longe multis ex humana literatura petitis, hunc Evangelicæ locutionis sensum subsiste demonstrat Desiderius Erasmus in Cap. 1. Matth.

Sed

Sed etiam daretur, quod tamen liquet esse falsissimum, Matthæum de conversatione, seu cohabitatione locutum, Virginemque ante id temporis nondum communem cum Josepho habitationem habuisse; non illico consequens esset, non fuisse jam tum illos Matrimonio junctos. Quia tametsi cohabitationis jure potirentur; occasione tamen suscepta ab Deipara peregrinationis in montana Judææ, quæ tres menses integros tenuit, nondum fortasse cohabitavit. Non desunt enim vero (Toletus in Cap. 1. Lucæ, annot. 115. Franciscus Lucas ad versum 30. Cap. 1. Lucæ.) qui putent, eam sine Josepho ad Elizabetham perrexisse cum alia fidelissima socia consanguinea provecioris ætatis, ad fidam, honestamque custodiam. In quam ego sententiam propendeo maxime: tum quod Joseph in toto illo peracta salutationis officio ab Evangelista fileatur: tum quod, si præsens illic adfuisset, numquam finitram illam de Mariæ reducis graviditate suspicionem habuisset, quam Deo factam, & gravidam ex Elizabethæ oraculo didicisset; dum repleta Spiritu Sancto exclamavit voca magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Lucæ 1. Nec de tanto Mysterio ab Angelo edoceri necesse habuisset; iis Elizabethæ Spiritu Sancto plenè discretissimis verbis jam facis edoctus. Sed de his alibi plura.

VII. Nihil melioris est commatis altera cupidam recentioris animadversio, Virginem nondum tunc Matrimonio junctam probantis, dum illius graviditas deprehensa est; quod eam adulterii suspectam Josephus occulte, uti meditabatur, dimittere non debuisset, juxta Mosaicæ Legis præscripta, sed palam, & publice, ac dato etiam libello repudiij. Si quid enim ea probaret argutia, perinde evinceret, Virginem nec tunc quidem simplici desponsatione fuisse Josepho promissam, ac in paterna domo custoditam. Cum & illæ, si forte fuissent constupratæ, lapidari perinde publice, atque adulteræ juberentur. Deuter. Cap. 22. v. 20. Si non est in puella inventa Virginitas; ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri Civitatis illius, & morietur, quia fecit nefas in Israel. . . . Si puellam Virginitatem desponderit vir, & invenierit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruentur. Quod itaque Joseph Mariam occulte dimittere, non palam traducere cogiraret, ideo fuit, quod certo adulteram nesciret, sed mere suspicaretur; imo potius fluctuatione, animique perturbatione moveretur. Cum enim conjugis puritatem, castimoniam, sanctitatem exploratam haberet; aliunde vero deprehensa graviditatis causam penitus ignoraret, medium quid tenuit: noluit ad tribunalia traducere ut adulteram, quam vix, ac ne vix crederet; noluit ultra convivere, & cohabitare cum illa; ne si quid forte subisset criminis, illius & ipse particeps fieret. Joseph sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentio, cujus Mysterium nesciebat. Inquit Hieronymus in Cap. 1. Matthæi.

VIII. Mitto piam quorundam, religiosamque considerationem, qui Josephum de dimittenda uxore deliberasse sibi fingunt; non ex sinistra de illius graviditate suspitione, animique fluctuatione, atque perturbatione, sed potius humilitatis sensu; quod se illo convictu, societateque putaret indignum, quam Spiritus Sancti virtute factam, Deique Matrem effectam agnosceret. Ita quidem in Apocryphi Origenis Homil. 1. in diversa Evang. loca, & Basilii Magni Homil. 25.

legere est, necnon apud D. Bernardum Homil. 9. quæ est 2. Super Missus est, & apud Gerfonium Epist. 2. de Felto S. Joseph instituendo. At pia licet, religiosaque consideratio videatur, textui nihilominus Evangelico repugnat aperte. Si enim de dimittenda uxore cogitasset, quod ea se indignum reputaret, quam Spiritu Sancto fetam deprehenderat; tantum abest, ut ad eandem retinendam inductus esset, ubi primum Divinæ illius fecunditatis Mysterium docente Angelo intellexit; ut ob id potius multo magis in suscepto ante consilio fuisset confirmatus. Qui ergo cognita Virginis innocentia, Divinaque illius fecunditate intellecta, a meditato consilio recessit, conjugemque retinuit; is sane nonnisi ex sinistra suspitione, de illa dimittenda deliberasse censendus est.

IX. Cæterum quod de libello repudiij Mariæ dando obiter objectum est, risum verius elicit, quam responsum: liber quippe repudiij ingratis uxoris dari justus est, Deuter. Cap. 24. non adulteris, quæ potius lapidibus appeti jubeantur, Levit. 20. Eoque dabatur sine, ut mulier dimissa ab alio viro duci possit, virque vicissim alteram conjugem ducere. Joseph autem in ea animi perturbatione, Mariam dumtaxat de domo ejicere meditabatur, non ipse aliam ducere, illique, ut alteri viro nuberet, potestatem facere cogitabat.

EXERCITATIO XXV.

Quoto quisque anno vitæ Matrimonium inierint?
Quoræ titulo Joseph Christi Domini pater sit?

I. Pictiores, audent hominum genus, ridere sæpe soleo, qui in effingenda Mariæ Josepho nubentis imagine, utramque ætate tam dispari nobis adumbrant: Mariam quidem tenellam, puellam, adolescentulam, annos vix quatuordecim æscutam; Josephum vero devexa jam ætate, annifque gravem, viertum, silicernium, capularem, ac depontanum; ut plane qui historiam nesciat, non sponsum, & sponsum effectos putet, sed proneptem, & proavum. Cur id faciant audaces homines, cæterosque penicillo in errorem inducant, quævis diu, donec illud occurrit in Josephina apud Gerfonium:

Ergo Joseph pinxisset senem, secreta seniles
In se virtutes; vel neu carnalis habere
Suspicio de te quicquam carnalis Maria.

Nempe, si superis placet, canus, & effectus pingendus fuit Josephus, ut & prudens credatur, & callus; conjugumque adeo ætate disparium fingenda consociatio, ne si juvenis maritus speciosissimæ sponse adjungeretur, in suspitionem veniret illibatus Virginis pudor! Nugaces, ignaros! Quasi vel non sint, fuerintque semper in ipso ætatis flore, & prudentes, & casti; non fiat, fuerintque semper, devexa etiam ætate, impudici, & imprudentes! Plus ad puritatem potest gratia, quam natura: castiorque evadit, quem in viridi etiam ætate adjuvat gratia, quam quem longa ætas sine gratia, corporis viribus extenuat. Ac sicuti deficiente aliquando corpore, animi libido non deest; ita vigente quandoque corpore, modo divina opuletur gratia, animi simul & corporis puritas adest.

Geminus igitur error, Pictorum audacia in vulgus inductus, nobis reffellendus est hodie: alter, quo Joseph plus justo ætate provecus; alter, quo Maria æquo junior fuisse creduntur, dum Matrimonio juncti sunt: ut utriusque ætate ad certum modum deducta, æqua sit, prudens, ac tantis conjugibus digna consociatio.

II. Pi-

regia fide procreatus, & Maria natus est, & Josepho. Idcirco Jesus, carnali quidem generatione putabatur filius Josephi Luc. 3. conjugii vero jure, non modo putabatur, at erat.

VIII. Altius Gersonius enititur; Sermonem de Nativ. B. Virginis, Christumque ex corpore, & carne Josephi conceptum dici posse, contendit ob id solum, quod ex corpore, & carne B. Virginis conceptus sit: quia duorum conjugum unum est corpus, & una caro: Perperam, & immerito. Conjuges enim corpus unum, & una caro sunt Matrimonio, non simpliciter rato, sed consummato, quale profecto Josephi cum Maria non fuit. Hinc per Sacros Ecclesie Canones, in Matrimonio simpliciter rato relaxatio, seu dispensatio dari aliqua potest, non tamen in consummato; quod illius consummatione conjuges facti sint corpus unum, & una caro.

IX. Futilius longe multo, ac cachinnis omnibus excipiendum arbitror recentioris cuspis systema, peculiari libello vulgatum non ita pridem, de paternitate D. Josephi, quo sanctissimum Patriarcham verum secundum naturam Christi patrem dici posse contendebat: non utique quod Christum, habita cum Matre Virgine copula, genuisset: absit hæresis: sed quod Divinus Spiritus illud ipsum individuum Christi Corpus, in utero virginis efformavit, quod Josephus, si rem venerem faceret, editurus erat. Quod ille sin minus factum, at saltem fieri potuisse, magno inanum cavillationum, ac subtilium argutarum apparatu evincere satagebat. Quis inane commentum æquo animo ferat? Da enim, id potuisse Divinum Spiritum: da, id fecisse quod poterat: itane, quæso, Josephus editi hujusmodi fetus pater secundum naturam habendus esset? Relatio enim paternitatis naturalis, ut Philosophi docent, in actione generante fundatur, quæ nulla etiam tunc Josephi fuisset. Nec Divinus Spiritus eandem individuum humanitatem producendo, quam Josephi ipsemet producturus erat, ipsam Josephi actionem eliciisset, sed alteram longe diversam. Uti plane dum Deus in extremo iudicio Isaacum a mortuis excitabit, eundem qui dum hominem secundo producet, qui quondam ab Abrahamo genitus est: non eadem tamen erit actio Dei secundo producentis, qualis olim fuit Abrahamo generantis; hæc enim supernaturalis erit, ac plane Divina, ista humana fuit, & naturalis. Ac nisi Abrahamo olim generantis actio præcessisset, individuum ille homo a mortuis excitandus, Abrahamo filius minime censeretur. Si igitur, ut lubet, libetque inepto argutatori, eadem a Deo in utero virginis producta humanitas, quam producturus esset Josephus, si copulam habuisset: quia tamen non habuit, nullumque generationis actum elicit, Christi pater secundum naturam dici nequit.

EXERCITATIO XXVI.

De Christi conceptu Virgini nunciato.

I. DE Christi conceptu, seu Dominice Incarnationis Sacramento, ab Angelo Virgini Deiparæ nunciato, dum loquor hodie, rerum multitudinem dicendam pene obruor, ac tantum oneri non succumbo. Idcirco in certas veluti classes Argumentum parti cogor, ut ordo saltem in dicendo servatus, disputationis amplitudinem expeditam reddat, facilemque.

At primo statim controversia illa veniet in medium, quæ fundamentum est cæterarum: Cur Christi conceptus fuerit ante Virgini nunciatus, quam reipsa in Virgine fieret? E vestigio sequetur altera: Cur non a Deo ipso per sese, cur non ab

homine, sed ab Angelo perlatus sit nunciatus? Succedat suo ordine tertia: Quis ille sit Gabriel Angelus, a quo nunciatus allatus sit? Quarto loco id quaeretur: Qua specie conspicuum sese Virgini præbuerit Angelus? Quinto loco investigabimus: Quando, ubi, & quale colloquium, Angelum inter, & Virginem habitum sit? Postremo: Cur ad salutationem Angelicam turbata sit Virgo? Quibus omnibus ad liquidum perductis, ad illud deum progrediemur, quod habiti colloquii, totiusque peractæ salutationis clausula fuit: Christum scilicet, in utero virginis conceptum, Deum pro salute humani generis factum hominem.

II. Ut ergo ab illa controversia ordiamur, quæ licet facillima, attamen caput est cæterarum; illud primum omnium ponimus: Christi conceptionem, seu Dominicam Incarnationem idcirco fuisse Virgini Deiparæ antea nunciatam, quam reipsa in Virgine fieret: tum ut hujus Mysterii notitiam haberet, quod in ea, ac per ea implendum erat. Licet enim Deum humanam naturam assupturam aliquando, fide nosset; haud ita tamen de se alte sentiebat, ut id suo in utero perficiendum existimaret: tum, ut debito ordine Christum prius fide, & corde, quam carne conciperet: unguis ingens Virgini meritum accessit, dicente Augustino, lib. de S. Virginitate Cap. 3. *Beatorum fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. . . . Materiam propinquitas nihil Maria profuisset, nisi salicium Christum corde, quam carne gestasset: tum demum, ut ejus in antecessum consensus obtineretur, qui triplici de causa necessarius videbatur. 1. Quia Dominice Incarnationis Sacramento varia contracta sunt sponsalia: Dei cum humana natura, quam induit; Sponsalio te mihi in fide, Osæe Cap. 2. Spiritus Sancti cum Deipara Virgine, quam fecundavit: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Luca 2. Christi Domini cum Ecclesia, quam instituit, Respondi vos uni viro, Virginem castam exhibere Christo: 2. Cor. 11. In sponsalibus autem Sponsæ consensus accedere necesse est, quem idcirco Virgo Deipara, & nomine suo dedit, & nomine Ecclesie, totiusque humane nature, cujus jam tunc Divina electione Regina constituta erat. 2. Quia id Creationem inter, & salutem discriminis est; quod non illa quidem, sed ista consensus hominis potest: juxta celebratum Augustini dictum: qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. 3. Quia uti femina, dato assensu Angelo tentatori, humani generis ruinae initium dedit; ita feminam, Angelo salutanti consensu dato, humane Redemptionis exordium dare; maxime congruebat. Quæ Patrum communis observatio est.*

Neque tamen inde consequens putes, bonorum omnium maximum, Dei scilicet facti hominis conceptionem, a create voluntatis assensu pependisse. Quem enim Deus Angelico ministerio a Virgine petebat assensum, hunc Deus ipse omnipotentissima gratia sua operabatur in Virgine. Dat quippe Deus homini, quod petit ab homine: agitque in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod agere ipse voluerit: facitque ex volentibus volentes, ex repugnantibus consentientes. Ut loquitur Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio Cap. 21. lib. 4. ad Bonifacium Cap. 9.

III. Illud forte curiositatem excitabit aliquanto majorem: quid Deus in edocenda de tanto Mysterio Virgine Deiparæ, ejusdemque assensu exstulando, Angelico ministerio sit usus, non humano? Imo quid non ipse per sese Virginem erudierit, instituerit? Et quidem, si Virginis in Dei

Matrem electæ excellentiam spectes; cum hac longe Angelis præstet, ab istis erudienda minime videbatur, sed ab ipso, quo solo minor est Deo. Quemadmodum & Christus, ob sui super Angelos excellentiam, nihil ab Angelis luminis accepit. Si autem nativam Virginis conditionem atenderis; cum & femina esset, & viro juncta, a marito potius, quam ab Angelo edocenda videbatur: juxta Apostoli dictum 2. Cor. 14. *Mulieres, si quid volumus discere, domi viros suos interrogent.*

Nihil attamen dubitandum, quin in eo præstando munere, Angelo administro Deum uti, songe fuerit congruentius. In primis ratione veluti generali; quia ex Dei destinatione, per Angelos ad homines Divina perveniunt, nisi peculiare momentum obiter: quippe qui Divina voluntatis internuncii sunt, & interpretes. Ratione subinde speciali paulo ante insinuata, de Sponsalibus Deum inter, & hominem, per Mysterium Incarnationis initis. Nuptiarum enim nunciatum, & paranymphum, alterum a nubentibus esse, necesse est: solus autem Deum inter, & hominem, medius erit Angelus, qui eo ministerio defungi possit. Congruum etiam fuit, ut Angelo nuncio, & administro instauraretur genus humanum; quemadmodum & Angelo tentatore, atque instigatore ceciderat, utque eadem via intraret antidotum, qua venenum intraverat; quæ Divi Bernardi pia consideratio est, Serm. 2. de Pentecoste.

Eo porro ministerio Angelico Virginem erudiri, atque doceri minime decebat. Quæ licet delata sibi dignitatis excellentia Angelos vincebat; humana tamen conditione natura, iidem erat inferior: nec Divino conspectu, quemadmodum Christus, fruebatur in terris: quæ de causa dumtaxat effectum est, ut Christus in via ipsa beatus, de Divinis Mysteriis ab Angelis non fuerit eruditus. Nec mirum, si a Josepho, viro licet suo, non sit edocta, juxta consilium Apostoli; cum enim singulari privilegio potiretur, illius quoque magisterio solvebatur. Quare & diu ante, totius hujusce Mysterii rationem ab Angelo didicit, quæ de illo Josephus admoneretur. Nondum enim conceptus erat Deus homo, dum Deiparæ parituræ ab Angelo dictum est: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei: a tertio autem mense conceptus jam erat, dum Josepho dictum fuit: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Quid ergo Josephi perficiendi Mysterii prorsus ignarus Virginem docuisset?

IV. Angelum ea Dei ad Virginem legatione functum, Gabrielem nuncupat Lucas Cap. 1. Qui quis fuerit, quove ex Ordine, a Theologis disputatur. Cum enim Cælestes illi Spiritus in tres Hierarchias, supremam nimirum, mediam, & infimam distinguantur, quarum unaquæque tres complectitur Ordines: suprema quidem Seraphinos, Cherubinos, & Thronos: media Dominationes, Virtutes, & Potestates: infima Principatus, Archangulos, & Angelos; Gabrielem Incarnationis Dominicæ Nuncium, ex primo supremæ Hierarchie Ordine putant aliqui: quod ita nunciati Mysterii excellentia postularat, juxta celebre Gregorii Magni dictum Homil. 34. in Evangelia: *Summum Angelum venire dignum fuerat, qui Summum omnium nunciabat.* Nihilotenus ubi in Scripturas Sacras, & Patres oculos intendo, Gabrielem, non supremæ, sed infimæ Hierarchie, spiritum censeo, ac in secundo, qui Archangelorum est, Ordine constitutum.

Gabrielem enim ad Daniele olim, tum ad Zazerry Toræ. III.

chariam Joannis Baptiste parentem Legatum observo, Danielis 8. & Lucæ 1. Ad priorem videm, ut mysticam illi visionem interpretaretur, quæ Medorum, & Perfarum devastationem pretebat: ad alterum, ut proximum illi Præcursoris ortum denuntiaret. Incredibile autem est, & Deum ad hujusmodi nuncios perferendos, easque legationes obeundas, supremæ Hierarchie, ac primi Ordinis Angelos usum esse: maxime cum Gabrielem, non a Deo ipso per sese, sed medio, atque mandante Angelo altero humana specie induto missum legamus, ad visionis interpretationem Danieli tradendam: factum est autem, cum viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri: & audivi vocem viri inter Ulai: & clamavit ei, & ait: Gabriel, fac intelligere istum visionem. Supremi autem Ordinis Angeli, etsi forte a Deo mitti possent; nequaquam tamen medio, atque mandante altero Angelo mitterentur; cum superiorem ipsi non habeant, a quo, & per quem mitti valeant. Imo si, quod eo loci observat Hieronymus, verum est: Angelum scilicet illum, viri specie indutum, a quo visionem interpretari jussus est Gabriel, Michaelem fuisse, quem alias ex Principatum Ordine liquet esse, illud certo relinquatur; Gabrielem ad Archangelorum dumtaxat Ordinem pertinere, qui in infima Hierarchia Principatus subsunt, & parent.

Et quidem cæteri perique Patres Gabrielem Virgini Paranympum Archangelum simpliciter dicunt: Irenæus lib. 5. adversus hæreses Cap. 21. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto Cap. 7. Augustinus Serm. 14. de Natali Domini, Bernardus passim in Sermonibus super Missus etc. Nemo Cherubinum, Seraphinum, aut Thronum dixit. Quin & Gregorius ipse ea in Homilia 34. in Evangelia, ubi Gabrielem summum Angelum vocat, qui Summum omnium nunciabat; eundem paucis ante verbis Archangelum appellat; Ad Mariam, inquit, Virginem, non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur.

Quapropter tanti hujus, quod nunciabat, Mysterii excellentia id unum postulabat, ut eorum in Ordine, qui summa nunciatur, Gabriel summus esset: Archangelorum scilicet, non aliorum quorumcumque, ad superiores Hierarchias attinentium, e quibus nullus ad ferendos nuncios, legationesque obeundas a Deo mittitur. Doctoris Angelici responsum est Gregorii Magni dictum exponentis, 3. par. quæst. 30. art. 2. ad 4. *Quidam dicunt, inquit, Gabrielem fuisse de supremo Ordine Angelorum, propter quod Gregorius dicit: Summum Angelum venire dignum fuerat, qui Summum omnium nunciabat. Sed ex hoc non habetur, quod fuerit summus inter omnes Ordines, sed respectu Angelorum: fuit enim de Ordine Archangelorum. Unde & Ecclesia eundem Archangelum nominat: & Gregorius ipse dicit in Homilia de centum ovibus, quod Archangeli dicuntur, qui summa annunciant. Satis est ergo credibile, quod sit summus in Ordine Angelorum. Et sicut Gregorius dicit, hoc nomen officio suo congruit: Gabriel enim Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prelio ad debellandas aereas potestates veniebat.*

V. Gabrielem, in eo ferendo nuncio Virgini conspicuum, humanam speciem retulisse, nemo quem noverim, vertit in dubium. Id enim evincit Scripturarum, ac Patrum auctoritas. Lucas siquidem Angelum ad Virginem ingressum scribit, locutum cum illa, ac tum demum finita legatione discessisse: quæ tria, & corporis motum, & speciem externe exhibitam, & voces humanas haud dubie referunt. Augustinus autem Serm. 14.

de Natali Domini, Virginem ita loquentem inducit: *venit ad me Gabriel Archangelus, facie nubilans, veste coruscans, incessu mirabilis: Ambrosius quoque lib. 1. de Offic. Cap. 28. Angelum apparuisse ait, in forma peregrina, quasi de re nova, & peregrina nuncium portantem. Et Joannes Chrysostomus Homil. 4. in Matth. Angelus, inquit, non in somnis, ino visibiliter Virgini adstitit. Nam quia magnam valde revelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tanta rei eventum visione solenni.*

Suadet hoc idem etiam ratio, non una, sed multiplex. Prima a Chrysostomo insinuat: ut certior Virgini visio fieret. Quæ enim oculis etiam subiecta sunt, certius, ac firmius apprehendimus, quam quæ imaginamur dumtaxat, solaque mente capimus. Altera, ex Virginis Deipara dignitate petita: quæ enim, non mente solum, sed & corpore Dei Filium paritura erat, non solum mente, sed & corporis sensu Angelica visione recreanda erat. Quare utraque simul, & intellectuali, & sensibili visione firmata est. Tertia, ex ipsa revelati Mysterii conditione delibata ratio est. Cum enim Deum humanam carnem suscepturum nunciaret Angelus; debuit & ipse humanæ carnis speciem sumere, ut quaecumque rei, quam possibilem Virgini predicabat, experimentum daret. Quo sensu Tertullianus species humanas Iustus, ac Patriarchis veteri Testamenti interdum exhibitas, quibus Deus illis quandoque conspicuus factus est; *Incarnationis tyrocinia* vocat, Deique Filii experimenta hominem inter homines agere condiscipulis.

VI. Id unum aliquibus venit in dubium: Vbi, & quando humanum corpus aptaverit sibi Angelus: in cuius specie, ac forma Deiparæ visus est? Num antequam sese in eius cellam inferret; num postquam in illam illatus est? Ex Patribus enim, ac maxime ex D. Ambrosio in Cap. 1. Lucæ, & D. Bernardo Serm. 3. *super missus est*, Angelum clauso ostio ingressum esse, liquet: quam ob causam etiam turbatam Virginem plerique putant. Si itaque antequam illuc sese inferret Angelus, corpus aptaverat sibi, ex aere utique condensato, ut fieri solet; introeundo dissipatum est, etiam si per poros ostii subisset. Si autem postquam se illuc intulit, peracta res est; aptari intus, formarique hominis corpus, Virgo facile deprehendit.

Gerræ profecto, eaque germanissimæ. Utrum horum sit factum, quis certo statuatur, nullo suffragante Patrum, aut Veterum testimonio? Utrumque tamen citra periculum, & incommodum fieri perinde potuisse, fidenter affirmo. Primum quidem: quia corpus ante ingressum ab Angelo effectum, induci absque dissipatione potuisset, per ostii penetrationem; seu fit illa possibilis Angelo nativa virtute; seu Divina virtute facta sit. Secundum: quia intus perinde efformari potuit corpus humanum, antequam illud Virgini conuertendum obiceretur. Corpora enim ab Angelis efformata, atque assumpta, pro ipsorum Angelorum arbitrio aliorum oculos, aut subeunt, aut effugiunt: uni quandoque patent, non item alteri.

VII. Majus erit operæ pretium investigare, ubi, & quando, quibusve verbis ea peracta sit salutatio? Communem locum, Provinciam ut ita dicam, & Civitatem notat Lucas: *Missus est inquit, Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Qua in re illud statim videtur incommodi, quod Joseph, & Maria, utpote Judæ Tribules, si quam forte domum habebant, hanc in Judæa, quæ Tribus Judæ, & Benjamin in sortem cesserat, habere deberent; non in Galilæa, quæ Tribus Zabulon, & Nephtali in

Terræ Sanctæ partitione contigerat. Solvitur tamen, si dixeris, Judæos nulla lege fuisse obstrictos, in suarum Tribuum fortibus habitare, sed id in illorum arbitrio fuisse relictum; etsi agros, & possessiones extra suarum Tribuum sortem habere non possent. Possessionum enim, non habitationum partitio a Josue facta fuerat. Potuerunt ergo Maria, & Joseph fixam Nazarethi in Galilæa habitationem habere, locatam forte domunculam, aut commodatam, tametsi essent ambo Judæ Tribules, suasque (si tamen pauperculus essent aliquæ) possessiones in Judæa obtinerent. Quibus & illud addi potest, limites a Josue præscriptos Tribuum possessionibus, haud ita religiose fuisse servatos, post captivitatem Babylonicam. Tot enim progressu temporis præsa malis, bellis iactata, afflicta calamitatibus gens infelix, nec communes Regni, nec peculiare familiarum, ac Tribuum fines servare facile potuit, sed omnia sua de qua miseri passa est vit invitata. Cæterum Josephi domum Nazarethi sitam, in qua facta sit salutatio, obiter dixi, nec temere. Cum enim Mariam & Josephum vero tunc matrimonio junctos ostenderim; consequens plane est, Mariam paternam domo relicta, Josephi quoque domum incoluisse, eodemque ambos tecto inhabitasse: illicque idcirco nuncium Angelicum fuisse exceptum, Et sic ea de re disputare ii soleant, qui illos simplici tunc deponatione junctos existimant: quod haud ita certum sit, num ex more Judææ gentis, puellæ simpliciter desponsatæ, in sponсорum suorum domos inducerentur.

Mensem, ac diem peractæ salutationis, (de anno enim dicam alibi) ex Ecclesiæ Traditione (S. August. lib. 83. Quæst. quæst. 56.) definitam habemus, Martii vigesimam quintam: eodem videlicet calculo, quo diem Decembris vigesimam quintam Christi natiuitati præsignimus: de quo plenius in sequentibus. Totos enim menses novem, Christum in Matris utero gestatum credit Ecclesia, pro solito cæterorum puerorum more. At non perinde certa est hora diei, qua peracta est salutatio. Qua de causa effectum est, ut Ecclesia scilicet illud fortunatumque peractæ Incarnationis momentum, quotidie in fidelium memoriam, venerationemque vocatur, salutationem Angelicam quavis diei parte recitari optet; summo mane, meridie, ac summo vespere: in eo scilicet horæ incerto, quo Mysterium illud impletum est. Si quis tamen in re obscurissima conjecturis esse locus, peractam Salutationem Angelicam, Deumque in utero virgineo factum hominem existimaverim, statim post mediam noctem, ac sub ipsum diei naturalis initium.

1. Quod hac ipsa hora Christus die 25. Decembris natus sit; sic enim iusta novem mensium gestationis in utero mensura impleta est. 2. Quod id Sapientie oraculo significatum videatur Cap. 18. *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet. Omnipotens Sermo tuus exiliens de celo a vegetalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram profilivit.* 3. Quod eadem illa hora Angelus a Deo sit missus, ad occidenta primogenita Ægyptiorum, Judæosque ab Ægyptiaca captivitate liberandos. Sic enim figuræ veritas apprimè respondebit. 4. Quod ea Divo Athanasio sententia stererit: si quomodo ejus esset Sermo de Deipara, ubi non longe a fine legimus, *Angelum in exordio diei, utique naturalis, Virginem saluasse.* At hujus Sermonis auctorem, Athanasii ætate longe esse posteriorem, ac post quintam, & sextam Synodum œcumenicam floruisse, perspectum est.

Peractæ salutationis verba, totumque colloquium Angelum inter, & Virginem habitum, syllabatum refert Lucas Cap. 1. a versu 28. ad 38. simplex illud,

illud, grave, modestum, quale profecto, & salutantum Angelum, & salutatum Virginem deceat. Quid ergo fingamus aliud: quidve piis quorundam Patrum paraphrases, quæ mutua verba uberius, explicarunt, tamquam vere recitatas existimemus; ut ad novem horas, prolatum sit salutare colloquium? Quod Antonii Belingenii commentum est lib. 1. de Angelo custode Cap. 4. Nihil hujusmodi ex Lucæ verbis extendi potest. Nec illi ipsi Patres, qui piis illas paraphrases adornarunt, totidem verba ab Angelo, Virgineque prolata, a nobis intelligi volunt. Nec tanta loquacitas, in feria tanti Mysterii tractatione, admodum conveniret.

Ridendus multo magis Rutilius Benzoni, qui Gabriele hymno suavissimo, & carmine modulato Virginem saluasse commentus est, Cap. 22. ad Psalmum 87. Pseudo-Athanasii suffragio delusus, laudata jam Oratione de Sanctissima Deipara, salutationem Angelicam *hymnum* appellantis. Nam præterquamquod non est Athanasii, ut diximus, Sermo ille; *hymni* vox in Scripturis, & Patribus non semper strictam pedibus, ac numeris Orationem significat; sed plerumque cum laudatione confunditur: qualis profecto fuit Angelicæ salutatio.

Inscita fortasse videri queat B. Petri Damiani commentario, qui Dei Epistola a Gabriele ad Virginem allatam dicit, Sermonem de Annuntiatione, qua tota contineretur salutatio, ut jam non Nuncius Gabriel, sed Tabellararius sit habendus. *Traditur, inquit ille, Epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* At virum summum figura metonymiæ usum verisimillimum est, & contentum continentis nomine significasse, Divinumque mandatum, seu verba Dei nomine ad Virginem referenda, Epistolæ nomine designasse. Id ni dicamus, repugnabit Evangelio Damianus. Quæ enim contenta in Epistola notat Damianus, hæc ab Angelo voce recitata memorat Lucas: *Ingressus ad eam Angelus dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus.*

VIII. Ad hæc ipsa Angelus verba, turbatam Virginem subiungit Lucas: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Miror in reterenda perturbationis illius causa, minus inter sese congruere Ecclesiæ Patres. Quamquam enim ex aliquo timore ortam illam fateantur universi; propterea quod, ut eam confirmaret, subiungit Angelus, *ne timeas Maria; quæ tamen fuerit causa timoris, non omnino consentiunt.* Ambrosius lib. 2. de Abraham Patriarcha Cap. 9. ortum timorem, adeoque & natam perturbationem existimat, ex inopinatio Angeli viri speciem referentis ingressu: unde, relicta vulgata versionis lectione, *turbata est in sermone ejus, fidenter legit, turbata est in introitu ejus.* At præterquam ab universis, cum Græcis, tum Latinis codicibus diffidet, in sermone ejus constanter habentibus: haud satis cum sequentibus Lucæ verbis congruit: *& cogitabat qualis esset ista salutatio.* Quæ certe timorem incussum innuunt, non ex inopinatio Saluatoris ingressu, quem esse augusta specie, & circumfuso lumine Angelum esse facile deprehendit; sed ex ipsa salutationis, seu allati a Deo nuncii insolentia, & excellentia.

Bernardus Serm. 3. *Super Missus est*, incussum timorem, ortamque perturbationem opinatur, partim ex virginali verecundia, quæ tuta licet, timet tamen; partim ex dubio, num forte Angelus tenebrarum potius, quam lucis esset ille; qui, datis inter salutandum summis laudibus, do-

lo malo ad superbiam provocaret. Sed nec illa duo, cum Virginis cogitatione, *qualis esset ista salutatio*, sat bene coherent. Non enim verecundia est cogitare, quæ, & qualis salutatio illa foret; sed dubitationis potius, & rectumne illius sensum optime percipisset. Nec de Salvatore, quis esset, sed de Salutatione, qualis esset, dicitur cogitasse.

Origenes Homil. 6. in Lucam, & Isidorus Thessalonicensis Homil. de Annuntiatione, acceptam timoris, perturbationisque causam obtendunt, ex magnitudine, & sublimitate Mysterii ab Angelo denunciati. Verum admirationem excivisset potius Mysterii magnitudo, quam timorem incivisset. Imminentis etenim mali timor est, non non rei præcellentis obventura. Aut certe, si timorem etiam incivisset; quanta esset salutatio potius, quam qualis esset, Deipara cogitasset. Nec contra hujusmodi timorem, Virginis animum confirmasset Angelus verbis illico subiectis: *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei: sed verius timorem ejus auxisset magis, rei magnitudine magis, magisque amplificata.*

Rem ipsam verius, ac certius attingisse mihi visi sunt Augustinus Serm. 2. de Annuntiatione, & Gregorius Nyssenus Orat. de Christi Natiuitate: qui Mariam virginitati Deo per votum diu antea mancipatæ, initio timuisse, ajunt; indeque enatam animi perturbationem, donec subiectis Angelus verbis confirmaretur; quibus intellexit, se absque virginitatis lætura futuram Christi Domini Matrem. Cum enim in ipsis primis Angelus verbis, quibus in *Mulieribus benedicta* predicabatur, non nihil deprehendisset, quod prolem concipiendam, edendamque redoleret; (hæc enim solita erat in veteri Testamento mulierum benedictio) ac neclum tunc modum, quo res ipsa perficienda erat, exploratum haberet: timuit, ne cum virginitatis suæ lætura, cæsuræ res esset. Idcirco tam sollicitè, quam modeste quæsit: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovisti?* Ad quæ subiungit Angelus: *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quæ tenenda, servandæque virginitatis data securitas fuit, timoremque, animique perturbationem depulit.*

IX. Cavendum tamen, ne colendæ virginitatis studium, quo Maria fervebat, Divini mandati observantia ab eadem antepenitendæ existimemus; si quod forte, de violanda ad prolem edendam virginitate, præceptum illi fuisse impositum. Quod nonnulli pie, ut videri quidem volunt, imprudenter tamen, & inconsculte, quantum arbitror, commentantur. Observantia quippe virginitatis contra Dei præceptum, atque mandatum, non actus virtutis est, sed peccatum: votumque, si quod forte in antecessum emissum est, contrario mandato solvitur. Hinc D. Bernardus summus religionis cultor, & Doctor ita Virginem loquentem inducit, Sermone 4. *super Missus est: Si oportuerit me frangere votum (Deo nimirum ita iubente) ut pariam talem filium, gaudeo de filio, & doleo de propositio. Perperam autem, qui contra statuant, Gregorii Nysseni suffragio gloriantur; quod laudata Oratione de Christi Natiuitate scripserit: *Virginem castitatem Angelicæ apparitionis honorè, castitatis cultui haud dubie postponendo, Gregorius loquitur, non de mandato ipso, ab Angelo sibi conspicuo Dei nomine denunciato: cui tantum abest, ut castitatis observantiam anteponeret Virgo, ut postponeret potius, velletque cedere, Angelus, inquit Gre-**